

CCXXXII. VII. E. 12

330 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 88. f. eleganter perscriptus et rubricis distinctus, olimque, ut ad calcem notatur, ad Sanctam Mariam Gotwic, O. S. B. in Austria infer. Coenobium pertinens Varia complectitur, quae enumeramus. I. habetur: *Augustinus Contra Mendacium*. quem titulum Autor ipse L. I. *Retract.* c. ult. praefigi voluit; ut Liber hic ab altero *De Mendacio* distingueretur. Initium ejus est: *Multa mihi legenda misisti consenti frater karissime &c.* Finis vero: *ut vix ad eius terminum quem loco isto fiximus ueniremus.* Probe consonat lectio editis T. VI. *Maurianor.* Paris. 1685. col. 447.

II. fol. 19. sequitur *Augustinus contra felicianum*. Ita olim fide Codicum creditus, primo dubium movente *Erasmo*, cujus rationibus alias addente, et Codicem *Divionensem*, cui *Vigilii* nomen praefixum, proferente *Petro Franc. Chiffletio* Jesuita *Dialogus* iste contra *Arianos* tandem Autori suo redditus est *Vigilio Tapsensi* in *Africa* Sec. V. Episcopo, atque inter *Opera* ejus simul cum *Victore Viteni* ab eodem *Chiffletio* juris publici denuo factus *Divione* 1664. 4. Ad hanc Edit. p. 331. et ex subjectis Editoris *Opusc. secundum* five *Vindicias* §. VIII. p. 70. simulque nota, Contenta in hac Edit. non enumerari fideliter in *Fabric. Bibl. med. Lat. L. XX.* p. 297.

Est porro *Dialogi* initium: *Ex-torsisti mihi dilectissime fili* (in quibusd. Codd. *Optate*) *ut de unitate trinitatis &c.* Et finis: *cum iustis et iniustis ceperit reddere mercedem*, legiturque etiam T. VIII. *Opp. August.* edit. *Maur. append. col. 39.*

III. fol. 29. p. 2. Epistola *Conradi March. Montis ferrati* ad *Belam* III. Reg. *Hungariae* scripta a. 1188. post depulsum anno superiore exeunte ab obsidione *Tyri Saladinum*. Rem narrat e *Guilielmo Neubrig. Jacobo de Vitriaco* et *Marino Sanuto Lud. Maimburgius* in *Hist. des Croisades* edit. Paris. 1686. P. I. L. 4. p. 385. 4. et apud *Baronium* T. XII. ad an. 1187. Epistola *Terrici* Praeceptoris quondam domus *Templi Jerusalem* ad *Henricum* Reg. *Angliae*. Quin et eodem loco *Conradi* nostri herois *Literae* de captis a *Saladino Hierosolymis* recitantur. Quod vero ad *Belam* etiam scripserit, ne ipsi quidem *Hungariae* *Historiographi Prayus* et *Palma* innuunt. Itaque *litteras e Codice* dabo. *Inclito ac felicissimo domino. B. dei gratia hungarie magnifico regi sublimi. forti. et excelso. inuictissimo et triumphatori. C. eiusdem gratia montis ferranę (ferrati) marchio. eius celsitudinis deuotissimus. nec non magnus preceptor templi* (*Terricus* s. *Theodoricus*) *et eximius preceptor hospitalis* (*S. Joh. dictus Garnerius*) *et Vgo tiberiadis quondam dominus. et frater eius. d. ceterique nobiscum tyrum defendentes salutem. et uelocem ad nos succursum.*

sum. ac de inimicis perpetuum triumphum. Qualiter Saladinus uere crucis. et christianorum inimicus. regem nostrum (Guidonem) et eius exercitum. mense iulio (die 3 — 5.) cepit superauit. qualiter et uiuificam crucem damascum asportauit. nec non qualiter ciuitatem sanctam ierusalem et regnum totum subiugauit. qualiter et patriarcham (Heraclium) et canonicos sepulchrum recolentes. monachos omnes et heremitas. uirgines deo dicatas seruituti suę rededit. et redimere fecit. clementię uestre regni uestri iam dudum credimus propalatum. Remansit sola tyrus. quam ad laudem et gloriam regni uestri et omnium christianorum retinemus. Sed ferus ille Saladinus christianorum debellator. post tantam destructionem. et talem desolationem. sua potentia tyrum appropians. a festo omnium sanctorum (al. a festo S. Martini) usque ad circumcisionis diem. per mare et terras nos obsedit. et cum galéis et manganis (μαγγανois, tormentis jaculatoriis) et gattis (quibusdam navis, aliis vineae aut plutei bellici species) et castriis et igne. et cum omni genere edificiorum diu noctuque nos impugnavit. sed potentia domini fretos qui sanat contritos corde. et eius dextera sustentatos. in nullo nos dampnificauit. Immo ut eius potentiam possemus confringere. et nequaquam dicioni eius subiceremur. in die beati Siluestri de misericordia domini confidentes. armata manu galéas et alia ligna ascendimus. et paulo ante lucem obuiam galéis sar-

racenorum iuimus. et quinque ex eis retinuimus. et admiratum (Admiralium vulgo) stolum Bederdinum nomine. et Caydum (Alcayde nomen officii) et Adelmensem et alios quoque nobiles cepimus. et in uinculis detinemus. Et dum in conflictu essemus galéarum. Saladinus uenit ad muros ciuitatis armata manu. et uiriliter expugnare cepit. et nos uirtuose cepimus ei resistere. Descendentibus uero nostratibus de galéis cum gaudio et exultatione ad muros properatur. et eos procul eiecimus. et plus quam mille ex eis interfecimus. et sic nos uisitauit deus. et fecit. R. P. S. (redemptionem plebis suae) et ab obsidione eum cessare fecit. Preterea diuina prouidentia in tantum corrosimus eum. quod residuas galéas et cetera edificia manu propria concremare eum oportuit. Itaque nulla galéa ei remansit. et per omnia nos mare liberum tenemus. et cum una galéa quam habuimus XV. modo galéas possidemus. quas omnes diuino nutu Saladino abstulimus. Christiani uero expectantes auxilium uestrum. ad honorem uestrum et omnium christianorum retinent Craccum et montem regallem Belueder. et Saffetam atque Belfort et Tyrum quam uobis reseruamus. Quare celsitudini uestre supplicare non desistimus. quatenus uestigia predecessorum uestrorum sequi dignemini. et terram syrię olim a predecessoribus uestris (quibus illis?) perdomitam. nunc a barbaris occupatam. de potestate paganorum liberare non cessetis. Quae clamemus (quem inclame-

mus?) cui nisi regibus regnantibus supplicemus ignoramus. Clamat uos siquidem ierusalem. inuitat uos bethlehem. ut de potestate paganorum eas liberetis. Cui enim inputabitur. a quo nisi a principibus totius orbis requiretur. si loca sancta a barbaris possideantur. Ad hoc enim deus duos gladios in terra statuit. summum uidelicet pontificem. et reges regnantes. ut quod spiritualiter nequit refrenari. ense uindice saltem ulciscatur. Exeat ergo gladius uester et dominetur ubique terrarum. et que aliorum imbecillitate amissa sunt. potentia uirtutis uestre restarentur. Festinate ergo christianissime rex. et ne tardetis. sed in proximo mense aprili uenire. uel aliquos mittere procuretis. ut ciuitates amissae aduersus uos nequeant uallari. immo barbaras domando nationes. amissas recuperare. et quas diu possederunt breui tempore ditioni uestre ualeatis adiungere. Belam et Venetos excidio terrae sanctae compunctos hoc anno treguas usque ad biennium peregisse, tradit Dandulus Chron. L. X. c. 2. Quin priorem voti religione ad sacrum se bellum obstrinxisse, dum graviter decumberet, sed eius solvendi provinciam, quod rebus domesticis impediretur, in filium Andream transtulisse, pluribus exequitur Steph. Katona Hist. Crit. Hung. T. IV. in Vita Belae, et Emerici n. 586.

IV. fol. 30: Epistola Boemundi III. Principis Antiochiae data an. 1188. Guilelmum Tyri Archiepiscopum hoc anno ad conciliandos fractis Christianorum in

Oriente rebus Principum animos in Europam missum omnes meminere, qui de Bellis diæis sacris pertractant; Literas vero ejus ad Clerum, vulgo Credentiales, nemo, quod sciam, recitat. En illas. Omnibus sancte matris ecclesie filiis. primatibus. archiepiscopis. episcopis. abbatibus. prepositis. archipresbiteris. archidiac. capellanis. uniuersoque populo dei. ad quos presens presentari contigerit instrumentum. B. princeps antiocenus. salutem et salutis incrementum. cum prosperitatis habundantia. Anxius loquor. mestus scribo. et uestre uniuersitati longa suspiria. merores. angustias. licet presumens insynuo. et scribendo deficiens replico mestitias et dolores. Quis enim uidit talia. Vig lugent syon. eo quod non sit qui ueniat ad sollempnitatem. Christianis siquidem cum Saladino confligentibus (an. 1187. 3 — 5. Jul.) uires nostre defecerunt. ceciderunt templarii. hospitalares corruerunt. rex (Guido) anxietur in carcere. uexillum crucis dominice. immo crux ipsa dominica (a Rufino Ptolemaidis Ep. in praelio gestata) retinetur apud hostes. Omnes fere defecerunt. remansi tamen ego solus dei fauente misericordia. ut que facta sunt uestre nunciarem uniuersitati. Obsessum est saluatoris nostri sepulchrum. et eius natiuitas est derelicta. expugnata est ascalon. et in eius campestribus non inuenitur habitator christianus. Nazareth a turcis occupatur. in domo uirginis. in ipso annunciationis loco christianus sanguis fusus est. et in ecclesia

gloriosa equi iacent. turcorum patrantur nequiciae. et in locis gloriosissimis eorum spurcicie fornicationes et scelera perpetrantur. Sed et accon illa ubique terrarum nominatissima in eorum uenit ditio- nem. et usque tyrum (quam Conradus Marchio seruauit, ut supra) ierusalem et ascalone captis religioni christiane aliqua ciuitas non remansit. Mortui sunt patres. nichil restat nisi ut eorum posteritas moriatur. Omnibus itaque deficientibus remansi ego solus. ut haec omnia uestre nunciarem uniuersitati. Omnibus itaque desolatis in refugium remansit antioceng principatus. ibi sumus. ibi in edias sustinemus et calores. ibi pugnamus. et nisi nobis per auxilium uestrum pariter et consilium subuentum fuerit. procul dubio moriemur. Ad hoc uenerabilem uirum tharsensem (I. Tyrensem, Guilelmum) archiepiscopum. antioceni principatus cancellarium uirum utique discretum et honestum. in utriusque iuris apicibus et in rebus ecclesiasticis sufficienter eruditum ad uestram mittimus uniuersitatem. rogantes et modis omnibus exorantes. ut eidem predicto uiro aurem benigniorem accomodare dignemini. et de statu regni et nostro credere. Ip-

se namque erit uobis uerax nostrae desolationis interpres. utpote qui miseriam nostram uidit. cui luctus nostros intimandos iniunximus et dolores. Ipsum ergo ob dei reuerentiam sueque probitatis intuitum. et nostrae petitionis interuentum benigne recipiatis. et ei uestrum cum consilio prebeat is auxilium. Valete. Scientes procul dubio quia aut succumbimus aut morimur. Dixi supra, legendum Tyrensem pro Tharsensem archiepiscopum; quamvis enim Tarsus Archiepiscopos habuit, neminem tamen eorum in Europam illa tempestate ablegatum reperio, et Guilelmus, qui Cancellarius totius Regni Hierosol. fuit, eo perditio saltem Antiocheni principatus Cancellarius dici potuit. Ceterum lapsus Librarii proclivis fuit, cum vel in editis Paris. 1611. 4. Johannis Sarisberiens. Epistolis Guilelmus noster p. 471. repetito Tyrenensis Archiepiscopus audiatur.

V. fol. 31. Planctus elegiacus de captis ab Saladino Hierosolymis ignoti cujusdam, ut e calce praeoccupo, Erbonis, fortasse Aribonis Musici illius, cujus meminit Anonymus Mellic. c. 106. Distichorum LX. Initium:

*Indue cilicium sedeas in pulvere mater
Orba replens orbem fletibus ecclesia.*

Et sic aliquantum progressus Poeta subdit:

*Humanum si iudicium rex christe subires
Causari de te plurima posset homo.*

747

C O D I C E S

748

*Miror ait cur dotatam tibi sanguine terram
Cede profanarit barbara nequicies.*

Mox cauffam in perditos hominum mores confert:

*Ordo monasticus. ecclesiasticus. ordinis expers
Mundo non christo militat ore manu &c.*

spemque facit, ubi ad frugem peratore, cujus laudes excer-
se receperint, maxime ab Im- pam.

Orbis et imperii decus augustum Fridericus

Lux uia dux plebis emicat e tenebris.

Armis. ingenio. titulo. uirtutis honore

Inclitus. excelsus. clarus. ubique potens.

Vita placens cuius nostris seruata diebus

Muneris e celo creditur esse genus.

Ipsa facultatum reditus. fabricasque domorum

Scemate regali contulit imperio.

Maieftatis apex claris diuturna triumphis

Prelia concludens lassus habet (agit?) senio.

Jamque fatifcentis sunt membra fouenda quiete.

Militis hec ratio postulat emeriti.

Res miranda. senex christi iuuenescit amore.

Tam re quam signis ora ferens aquile.

Non sibi non partis opibus natus paratis (paratus?)

Parcere. sed letum carpere mortis iter.

Hic uir. hic hostiles numeroso milite fines

Intrans innocui sanguinis ultor erit &c.

Sed decollavit spes Poetae, *Fri-* postquam an. 1188. crucem sum-
derico I. ut notum, an. 1190. fisset. Ad calcem Poematis:
infeliciter in *Cilicia* submerso,

Obsecro lectorem. cum legerit hec mea dicat

Carminis auctorem deus erbonem benedicat.

Neque Librarius manum abstinuit:

Eugenii scribe pariter lector memorare

Semper ut a christo mereatur amen benedici.

VI. fol. 32. p. 2. *Incipit Prologus Anselmi Cantuarię Archiepiscopi.* Initium: *Tres Tractatus pertinentes ad studium sacre scripture quondam feci &c.* Sequuntur *Capitula*, et mox: *Incipit Liber de ueritate Sub Dialogo* (Magistri et Discipuli) *Editus.* Primum *Capitulum.* Quoniam *Deum ueritatem esse credimus &c.* Extat edit. Gerberon. Paris. 1721. p. 109. f. ubi cum *Cod.* nostro tam exacte consonat, ut qui in eo mox sub principium Libri *lineolarum* literae *m* indicem, uti pronum est, non obseruet, putet, a Scriba idem admissum esse mendum, quod est in editis, uidelicet: *uelle scire, pro uellem scire.* Finis: *tunc eius dicitur ueritas uel reſtitudo.*

VII. fol. 43. *Tractatus de Jure Canonico*, quem Autor *Ecclesiasticam Rhetoricam* adpellat. Initium: *Tam noui quam ueteris testamenti auctoritatibus edocti sumus et fide firmissima tenemus. quod deus et dominus noster equitatem diligit iniquitatem odit ut ait propheta &c.* Et mox: *Vnde ecclesiasticam rethoricam in qua leges diuine iusticie continentur uobis proponere necessarium duximus.* In eius lectionis initio quedam ad subsequendum evidentiam sunt prelibanda. materia uilitas intentio modus agendi. Materia huius lectionis est ecclesiasticę censure disceptatio. Utilitas eius canonum cognitio. in ecclesiasticis negotiis circumspecta discretio. in dandis consiliis prouida et expedita ratio. propositis questionibus sub-

tilis et acuta responsio. omnium controuersiarum facilis et rationalis terminatio. Intentio eius est instruere personas in iudicio constituendas. partim secundum normam canonum. partim secundum artificiosam doctrinam rethorum. Modus agendi in hoc consistit primo quot et que sint predictę persone. unde dicantur. cuius auctoritate in negotiis constituentur. que sint earum officia. que loca. que insignia breuiter assignabitur. Postmodum de ipsis personis et earum officiis prolixius tractabitur. &c. Habes Autoris scopum, quem per operis decursum ita persequitur, ut pro aevi sui ratione vix quidquam in eo desideres, quod facrarum literarum scientiam, Conciliorum, Canonum, Patrum, Decretorum Pontificiorum, quin Juris omnis notitiam adtinet. De ejus aetate ex eo statues, quod *Alcuinum, Amalarium, Gregorium VII. et Gratianum* excitet. *Gallum* fuisse putem ex adpellationis formulis, quas sub finem adfert: *Ego. b. ecclesie beate Marie cameracensis canonicus licet indignus sentiens me pregrauari a. b. remensi archiepiscopo. Vel si est post datam sententiam. contra sententiam a remensi archiepiscopo iniuste in me prolatam. romanam sedem uel audientiam appello et apostolos peto &c.* In detegendo tamen ejus nomine operam lusi. De generibus *Purgationum* agens, nobis f. 65. p. 1. haec adsignat: *Juramentum, candentis ferri iudicium et aque feruentis et monomachie*, addens: *Ex quibus una*

tan-

tantum auctoritatem habet ex sacris scripturis et sanctorum patrum decretis, hoc est iuramentum.

VIII. fol. 79. p. 2. *Miracula sancti Thome Martiris.* Est hic *Thomas Becket* Archiepiscopus *Cantuariae* in Ecclesia propria, ut notum, trucidatus an. 1170. de cuius vita *Quadrilogum* habes cum ejus *Epistolis* editum a *Christ. Lupo Bruxell.* 1682. 4. Nulla ibi *Miraculorum* enumeratio; bene vero T. IV. *Opp. Th. Stapletoni, Lut. Paris.* 1620. f. p. 971. Sed diversa sunt nostra, numeroque tantum sex, nullis personarum, locorumve nominibus insignita. Ad ea sic ingreditur Autor: *De miraculis beati Thome martiris quantum lingua nostra certitudinis ualet proponere. breuiter uolo propalare non tacendo sed loquendo.* Miraculis subiecta est brevissima de ejus vita et Morte relatio, ubi illud contra communem opinionem: *iussu Regis caesum fuisse.* Claudit Narrator: *Horum omnium testis sum in hoc quod uidi. et affirmare possum non solum uera esse. sed uerissima.* An itaque unus e *Quadrilogi* Interlocutoribus, *Johannes Sarisberiens.* *Heribertus de Bosabam,* *Wilhelmus Cantuar.* *Alanus de Obesbery?* an quidam Discipulorum et Familiarium *Thomae*, quorum nomina post *Quadrilogum* edit. cit. p. 157. recitantur?

IX. fol. 81. *Incipit Prologus in nouam editionem passionis XI. milium uirginum.* *Herm. Crombachius*, qui de hoc pia creduli-

tatis argumento *Coloniae* 1647. vastum in f. *Tomum* publicavit, *triplicem* eidem de *S. Ursulae* certamine uetustam *Relationem* inferuit: primam, quam putat a *S. Cuniberto* Ep. *Colon.* circa an. 644. concinnatam, quamque *Surius Actis SS.* intulit; alteram e *Revelationibus Elisabethae Schönauensis*, tertiam e *Revelationibus Anonymi*, quem *Hermanum Steinfeldens.* credit, utramque Sec. XII. Nostram ab his diuersam, Seculo tamen eodem, et quidem uiva *Elisabetba* adeoque ante an. 1168. scriptam constat ex *Prologo*, e quo quaedam excerptam. *Legentibus passionem sanctarum uirginum coloniensium* (antiquissimam illam) *dubitatio non nulla oriebatur. eo quod secundum tenorem illius relationis absque uirorum solatiis longissimam peregrinationem peregerunt.* Per *uirorum solatia*, ut fufius dein exponitur, gubernatio et reparatio uis, itemque com meatu procuratio intelligitur. Subdit *dubitatio* nunc *discussam esse. nuper enim uidelicet imperante frid.* (I. ergo post an. 1152.) *in loco quo sanctarum uirginum seruantur exuuie* (*Coloniae* 1155.) *inuenta sunt corpora sanctorum episcoporum aliorumque magnorum martirum. quod tytuli cum ipsis inuenti satis exprimunt.* Est autem *monasterium quoddam in territorio magantino. non procul distans a reno flumine sconouwa* (*Schonaugia, Schönau*) *in quo cum aliis sacris uirginibus uirgo quedam conuersatur mire simplicitatis et humilitatis.*

*tis. elysabeth nomine. cum qua et per quam spiritus sanctus — mirabiliter operatur — reuelationes quas accipit. ab eius fratre Germano (Egberto postea secundo Coenob. Schönau. Virorum O. S. B. Abbate) uiro nimirum doctissimo describuntur. Congessit igitur hic ea etiam, quae Deus Sorori de inventis his Corporibus patefecit, in Opusculum. Quod cum legissem, prosequitur Noster, et cum illa prisca (passione) Sanctarum Virginum contulissem. animaduerti scriptorem illius non quidem dissona his scripsisse. sed plura quae memoratu digna fuerant pretermisisse. — Visum est ergo mihi de duobus opusculis unum conficere &c. Atque haec de Libelli Historia, qui incipit: *Post passionem et resurrectionem domini saluatoris. cum sagena uerbi dei fluctibus huius seculi immissa* &c. et post se Titulos habet, qui cum sanctis corporibus inventi dicuntur, puta *Cyriaci Papae, Vincentii Card. Pantuli Ep. Basileens.* &c. De Libello ipso post *Sirmondi, Pagii, Launoji, Bailleti, Usserii*, aliorum de XI. Virginum Millibus iudicia non est, quod memorem.*

CCXXXIII.

VIII H. 17

746

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 133. 8. non una manu luculente exaratus, et rubricis distinctus complectitur frequentia: I. Excerpta ex Operibus *D. Augustini*, puta: *ad Petrum Diac. de Fide, Enchiridio*

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

ad Laurentium, contra Parmenianum Donatistam, Confessionibus &c. quorum prima ceteris prolixiora.

II. fol. 33. sequitur Tractatus minio inscriptus: *Dominus Lanfrancus contra heringarium (Turonens.) catholicę ecclesię aduersarium, de Corpore uidelicet et Sanguine Domini, quem in nota controversia elucubrauit Autor tunc Abbas S. Stephani Cadomensis, et deinceps Cantuariensis Archiep. usque ad an. emortualem 1089. Initium: Lanfrancus Misericordia Dei Catholicus. Berengario catholice ecclesie aduersario. Si diuina pietas cordi tuo inspirare dignaretur &c. Finis: et uerus est sanguis quem potamus. Post alias complures Editiones comparet in *Lanfranci Operibus* a *Luca Dacherio Paris.* 1648. f. vulgatis p. 231. Altera *Berengarii Confessio* *ibid.* p. 233. quam a *Lanfranco* Tractatui suo tardius insertam censet *Dacherius*, cum Pericope antecedente et consequente non magis reperitur in nostro *Codice*, quam in iis, quos in *Praef.* nominat *Dacherius*. Sunt tamen in eo lectiones aliquae, quas hic fortassis adoptasset. Ita in ingressu Noster habet: *multum fortasse tibi, procul dubio autem plurimum consuleres his* &c. ubi *Dacherius plurimum* omisit. Dein, ubi hic edidit: *euenire e duobus alterutrum*, Codex ponit *euenerit*, rectius, sed legendum putem *eueniret*. Mox pro *ad ueram fidem* in Cod. est *ad ueram uitam* &c.*

B b b

III.